

pe arrestum tum imponi curamus, quum nostra interest, ne quid eo loco moueatur, vbi est. Contra vero, quod sequestratione intenditur, id saepissime aliter non potest obtineri, quam vt res dimoueatur ab eo loco, quo iam est, et auferatur ei, qui iam possidet. Dein sequestratio potest fieri et iniri per contractum, sed arrestum contractu perfici plane non potest. Porro arrestum semper iudicis auctoritate perficitur, sed sequestratio potest etiam, si voluntaria est, ex sola partium conuentione fieri. Denique ex his ipsis momentis, quibus potissimum haec duo genera differunt inter se, variae deriuantur differentiae, quae praxin proxime respiciunt, veluti, ex arresto non dari actionem, hoc modo, vti datur ex sequestratione non nunquam sequestraria actio, facilius a iudice imponi arrestum, inaudita quoque altera parte, sequestrationem non ita facile decerni, sed plerumque audiendam esse antea partem aduersam, et quae sunt plura huius generis, a doctoribus, quos nominauimus, vberius exposita. Ita quoque, quo minus dubitetur, diuersa haec esse, in legibus imperii ^{l)} perinde, vt in legibus patriis ^{m)}, distinguuntur ea et separantur.

§. XX.

CONCLUSIO.

SED ne quis miretur, de sola definitione formanda tam multa a nobis scribi, filum abrumpere lubet, et omittere reliquas quaestiones, quae non proprie ad definitionem pertinent. Nobis enim haec ita hoc tempore disputasse sufficiat, ex quibus puto, satis intelligi posse nostram definiendi rationem.

l) Vid. *Kayserl. Kammer-Ger. Ordn. Part. 2. Tit. 39. et 40. Gueßrowische Canzleyordn. P. 2. Tit. 40. et 41.*

m) Vid. *Land- und Hofgerichtsordn. P.*